

Nepos: De viris illustribus

Hannibal

HANNIBAL, Hamilcaris filius, Carthaginiensis. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superaverit, non est infitiandum¹ Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes.

Nam quotienscumque² cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quod nisi³ domi civium suorum invidia debilitatus esset, se Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum invidia devicit unius virtutem.

Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga⁴ Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deposuerit, qui quidem, cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis.

(96 Wörter)

¹infitari = leugnen

²quotienscumque = immer wenn

³quod nisi = wenn also nicht

⁴erga (+ Akk) = gegen